

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1880

Auteur(s) : Philippe V, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Lisieux, Saint-Pierre (cathédrale)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1319, mai

Lieu d'émission : Pontoise

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Le roi Philippe [V] fait savoir que l'église de Lisieux reste sous la protection du roi de France comme sous les règnes de ses prédécesseurs.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Lexoviensis, n° VII, col. 212.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia Franciæ et Navarræ rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod cum prædecessores nostri reges Franciæ in concessionibus et donationibus seu assisiis comitatum seu terrarum quarumcumque fratribus ipsorum, seu quibusvis personis aliis factis ab eisdem, omnes ecclesias cathedrales, feoda, retrofeoda, homines, ipsarum libertates, franchisias, usagia et alia omnia jura ad ipsas ecclesias et prælatos earundem ratione dictarum ecclesiarum quomodolibet spectantia, sibi et coronæ Franciæ integre retinuerint temporibus retroactis ; nos dictorum prædecessorum nostrorum vestigia sequi volentes, in his potissime quæ ad Dei laudem et ecclesiarum libertatem cedere dignoscuntur, Lexoviensem ecclesiam, et prælatum ipsius qui nunc est et qui pro tempore fuerit, feoda, retrofeoda, franchisias, libertates et usagia, ubicunque extiterint, ac homines ipsorum ratione dictæ ecclesiæ, nobis et successoribus nostris Franciæ regibus, ac coronæ ipsius regni specialiter et expresse, ac ex certa scientia retinemus, nolentes quoquomodo quod aliquæ concessioniones aut donationes comitatum, aut assisiæ terrarum quibuscumque personis factæ seu in posterum faciendæ, ad dictam ecclesiam, feoda, retrofeoda, libertates, usagia, ac hominum ipsius ecclesiæ aliquatenus se extendant ; immo volumus ipsam ecclesiam, libertates et omnia jura ipsius, et homines, ut est dictum, nobis et successoribus nostris regibus Franciæ, et coronæ ipsius regni ac protectionis nostræ integre remanere: quod ut ratum et stabile perpetuo perseveret, præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum in abbatis regali B. M. juxta Pontisaram, anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono, mense Maii.